

H  
XVI





00

1/2





DE  
**TABERNACULI SANCTI NOMINIBUS**

**OBSERVATIONES HISTORICO CRITICAS,**

QUIBUS

**SECUNDA VICE MOREM GERERET**

**MUNIFICAE VOLUNTATI**

**JOANNIS CASPABIS ABLETTII,**

SCRIPSIT

**MARTINUS PHILIPPUS FREYER**

THEOL. EVANG. STUD.



---

**VRATISLAVIAE MDCCCXXXI**

---

TYPIS LEOPOLDI FREUND.



Cons.-Rath Radeckesche  
Sammlung.





**V I R O**

**ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO SUMME VENERANDO**

**Dr. S. G. REICHERT**

**GYMNASII ELISABETANI RECTORI**

**FAUTORI ET PRAECEPTORI CARISSIMO**

**HASCE LITTERAS**

**D. D. D.**

**A U C T O R.**







V I B O

ILLUSTRISSIMO DOCTISSIMO SUMME VENERANDO

Dr. G. B. B. B. B.

OPINIAH ELSABETHANI RECTORI

PAUTORI ET PRÆCEPTORI CARISSIMO

HASCE LITTERAS

d. d. d.

AUTOR





Qui ego his litteris observationes quasdam de nominibus tabernaculi Hebraeorum sancti exhibere conatus sum, mihi non persuadeo, me omnia, quae in hac re respectui exsint, respecturum, neque ea, quae dubia adhuc et intricata sint, ad liquidum producturum. Ne ea quidem omnia, quae in ipsa hac re observatione digna mihi videantur, hic pertractanda mihi proposui; sed quae prae ceteris me in perscrutanda illa re moverint, eligere et tractare velim. Etenim non sine certo quodam consilio nomina tabernaculi sancti observanda aggredior, fore sperans, ut observationes haec in significatione tabernaculi sancti quaerenda aliquid adjuvent.

Magna sane nominum vis est in tabernaculo sancto interpretando ejusque significatione constituenda; aut certior quaedam tabernaculi sancti significatio inveniri potest, quam quae e nominum vi simplice, scilicet ea, quam illis temporibus, quibus tabernaculum sanctum exstructum et institutum esse fertur, habuerint, pateat? Eandem vero vim nonnisi e litteris Hebraeorum publicis tum temporis exhibitis, quas Veteris Testamenti scripta complectuntur, patere nemo negabit. Itaque veterum recentiorumque interpretum opiniones in eo tantum sequi licet, quatenus ex ipsis his fontibus hauserint et cum iisdem consentiant; multorum vero opiniones, quae, ut infra videbimus, sine jure a simplice illa vi distant, reprimendae nobis erunt. Spectantibus enim illa nomina non historica ratione, sed praeoccupata quadam sententia de tabernaculi sancti significatione, facile potuit occurrere, quod, nominum vim cum illa sententia conjungendi cupidi, veram et simplicem nominum vim aut neglexerint aut ignorarint, et magnos in errores inciderint.



Quod supra dixi, nominum vim magni esse momenti in tabernaculo sancto interpretando, huc usque tamen provehere nolim, quod solum hoc argumentum sufficere putam; idcirco tabernaculi sancti significationem magis me his litteris firmaturum, quam argumento illo firmari possit, persuasum mihi non habeo. Quos igitur fines terminosque dissertationi meae constitui spectans, eadem dignior mihi videtur, quae observatiunculae quam observationes vocetur. Plane vero contentus sum, si vos, lectores benevoli, hoc nomine dignas has litteras et me tyronem habetis in ea militia, cujus tot exstant heroes et duces doctissimi; quod ex vobis etiam atque etiam peto.

Ipsam rem mihi aggredienti paucis liceat exponere, quam tractandi rationem sequi velim. Destribuens quidem totam dissertationem in duas partes, in prima parte singula nomina tractabo eorumque significationes inquiram; in altera autem quaeram, num nexus quidam adsit inter nominum significationes et significationem totius tabernaculi sancti et quatenus hoc nexu tabernaculum sanctum interpretari possit.

Inter nomina tabernaculi sancti, quorum summa est haec:

מִקְדָּשׁ, קֹדֶשׁ, מִשְׁכָּן, בַּיִת, אֹהֶל, (מִשְׁכָּן) אֹהֶל מוֹעֵד, (מִשְׁכָּן) אֹהֶל הָעֵדוּת

singula singulis significatione similia esse apparet, scilicet nomina מִקְדָּשׁ et קֹדֶשׁ, eodemque modo מִשְׁכָּן et בַּיִת, etc. Ad usum deinde quod attinet, alia ab aliis in eo differunt, quod sacra scripta aliis utantur ad utrumque sacrarium, et tabernaculum sanctum et templum, significandum, alia vero tabernaculo tantum ab iisdem tribuantur.

Quae ad generum horum primum spectant nomina מִקְדָּשׁ בַּיִת מִשְׁכָּן primo tractare liceat. Scripta sacra iisdem significare tabernaculum sanctum et templum, jam diximus; Exod. XXVIII, 43. XXIX, 30. cf. Jerem. XLI, 51. Ezech. XXI, 7. I Reg. VIII, 10<sup>1</sup>). Exod. XXV, 9. XXVI, 1. cf. Ps. LXXXIV, 2. CXXXII, 5. etc.<sup>2</sup>); denotant vero priora duo nomina

<sup>1</sup>) Cf. Lundii Jüdische Heiligthümer II, 5. — Gesenius h. Wörter-Buch. vv. קֹדֶשׁ et מִקְדָּשׁ

<sup>2</sup>) Cf. Gesenius W.-B. vv. בַּיִת et מִשְׁכָּן



מִקְדָּשׁ et קֹדֶשׁ colles etiam illos (בְּמִוֶרֶ), in quibus Hebraei interdum sacrificabant. Amos VII, 9. Aliis Veteris Testamenti locis alii loci sancti vel singulares his vocibus significantur<sup>1)</sup>. Patet ex his, frequentissimum fuisse apud Hebraeos vocium harum usum, iisque in universum designatum esse quemque locum sanctum, a profano (הַרְל Ezech. XXII, 26. Mal II, 11.) remotum. Si igitur sacra scripta tabernaculo sancto et templo haec nomina tribuunt, sanctos esse et sanctificatos, scilicet praesentia Dei, hos locos declarare tantum volunt. Alia de nominum מִקְדָּשׁ et קֹדֶשׁ significatione sentit Baehr<sup>2)</sup>, dicens, nomina illa universalem illam vim non habere, qua quidque templum vetus sanctuarium (ἱερόν) vocetur, sed sensu Mosaico interpretanda esse illa nomina, quo quisque locus sanctus etiam sit locus sanctificationis, scilicet locus ubi ii, qui ibi conveniant, sanctificentur. Provocat vir doctissimus pro sententia sua ad ethicam Hebraismi naturam<sup>3)</sup>, qua Dei sanctitas intimum habeat nexum cum populi sanctitate. Quod, quanquam dubitare nolumus, nullius tamen momenti esse putamus in simplice nominum significatione quaerenda. Nusquam enim sacra scripta, e quibus nempe simplicem illam significationem patere supra diximus, talis significationis mentionem faciunt. Afferunt tandem nobis ipsa haec scripta sacra auxilium haud exiguum pro quaestione nostra explicanda; dicitur enim Exod. XXXIX, 43. „Et convenio ibi (scilicet in tabernaculo) cum Israelitis, et sanctificabo tabernaculum conveniendi et aram, et Aronem filiosque ejus, ut sacerdotes mihi sint.“ Si ullo loco, certe hoc potissimum mentionem facere debuissent scripta sacra de sanctifica quadam tabernaculi significatione; omnino autem hi duo versus contrarii sunt tali significationi. Dubitari enim non potest, Aronem filiosque ejus non eo sanctificatos esse, quod in tabernaculo sacrificia Deo fecerint, sed Deum sanctificasse illos, ut idonei essent ad sacrificio fungendum.

<sup>1)</sup> Cf. Gesen. Wört.-Buch.

<sup>2)</sup> Baehr Symbolik des Mosaischen Cultus I. p. 89.

<sup>3)</sup> Baehr, Symb. des Mos. Cult. L. L. cf. I., p. 37. Görres Mythengeschichte Th. II. S. 507. Fr. v. Schlegel, Philosophie der Geschichte Th. I. S. 168 ff. Cf. Hegel, Vorlesungen über die Philosophie der Religion, Th. II. S. 39 über Aesthetik Th. I. S. 483.



Quam vero Baehr etiam profert sententiam<sup>1)</sup>, nomina קדש et מקדש omnium tabernaculi nominum esse specialissima, iisdemque accuratius quam ceteris tabernaculi significationem et naturam constitui, his placitis nostris repulsam esse putamus. Quam viri sententiam ex falsa ipsius nominum interpretatione sequi apparet. Sane autem nomina illa, quum in universum locum quemque sanctum significant, demonstrant, tabernaculum ceteris sacrariis veteribus coordinandum esse.

De nominibus בית et משכן, quas nunc adire volumus, jam diximus, non solum tabernaculum sanctum sed etiam templum iisdem significari. Deinde utrumque nomen in Vetere Testamento quamlibet domum designat; Gen. XXXIII, 17. II. Reg. XXIII, 7. Ezech. XVI, 6. Kohel. XII, 5 cf. Jes. XXII, 26 ita ut, quod ex his locis videmus, ultimae etiam domui, sepulcro tribuatur. LXX igitur haec nomina et nomen מקדש promiscue vocibus, οἶκος σκηνη σκήνωμα, vertunt; Gen. IX, 21. XXIV, 67. Num. IX, 15. Gen. VII, 1. II. Sam. III, 1. Deut. XXVI, 15. Cantic. 1, 8. Ex. XXV, 9. XXVI, 1. Job. XXI, 28.

Tabernaculum vero sanctum et templum ita nominata esse propterea quod Deus in iisdem habitare voluerit, nemo dubitabit, quum sacra scripta id demonstrant; Exod. XXV, 8. XXIX, 45.

Nomina vero בית et משכן aliquatenus inter se differunt; significante enim illo totum tabernaculum, hoc saepe pegma tantum denotat tabernaculi, cuius tegmentum מקדש proprie vocatur. Itaque nonnullis Veteris Testamenti locis conjuncta invenimus nomina מקדש et משכן Exod. IXL, 32. XL, 2; at tamen saepe utrumque nomen totum tabernaculum seorsim significat; I Reg. I, 39. cf. Exod. XXV, 9. Deinde nomen משכן cum voce ערות conjunctum etiam occurrit, de qua voce in alterius generis nominibus interpretandis disserendum nobis erit; constat vero, nomen משכן illa conjunctione non interpretari, nam supra jam demonstravimus, tabernaculum vocatum esse משכן, quia Deus eodem inhabitaverit<sup>2)</sup>.

<sup>1)</sup> Baehr Symb. d. Mos. Cult. I p. 76. cf. p. 91.  
<sup>2)</sup> Gesen. h. W.-B. v. משכן.



Quamquam nomina בית et משכן significare habitaculum Dei teneamus, opinionem tamen, quam Baehr inde concludit, sequi nolumus; quae opinio est; tabernaculum simulacrum esse universi mundi<sup>1)</sup>. Argumenta, quibus hanc opinionem demonstrare vult, sunt haec: Aedificare pro creare ponunt Hebraei, Genes. II, 22 (LXX בנה *oikodomēin*); sed hic nec de mundi creatione agitur, nec mundus habitaculum Dei vocatur, et quamquam etiam aliis locis mundi creatio cum domus aedificatione confertur, Job. XXXVIII, 4. etc., inde non sequitur, mundum esse habitaculum Dei; nusquam etiam in Vetere Testamento mundum ita vocatum esse invenimus. Locus vero, quo tabernaculum sanctum simulacrum esse dicatur mundi, sacris scriptis omnino non inest, quod Baehr etiam concedit. Provocat deinde hic ad traditionem Judaicam, quam propius aliquid accedere et spectare debemus. Vetustissimam tabernaculi sancti interpretationem apud Philonem invenimus<sup>2)</sup>, qui totum tabernaculum mundi simulacrum esse dicit, ita ut vestibulo, quod adiri potuit, τὰ αἰσθητὰ, tabernaculo vero proprio, quod adiri non potuit, τὰ νοητὰ, designata sint. Simili modo Josephus totum tabernaculi aedificium simulacrum universi (ἀπομίμησις καὶ διατύπωσις τοῦ ὅλου) vocat<sup>3)</sup>; in eo autem a Philone differt, quod sanctissimo tantum coelum, sancto autem et vestibulo mare et terram designari dicit. Secuti sunt hos Rabbines fere omnes celeberrimi, multis scilicet variatis<sup>4)</sup>.

Sine dubio haec interpretatio iis temporibus orta est, quibus Judaismum a paganorum oppositis defendere voluerunt interpretes; quod consilium apologeticum etiam ex eo patet, quod Josephus in interpretationis suae initio dicit: εἰ τις ἀφ' ὧντος ἐθέλοι καὶ μετὰ συνέσεως σκοπεῖν. — Sane Josephus Philonem

1) Baehr Symb. d. Mos. Cult. I p. 77—80.

2) Philo de vita Mosis L. III.

3) Josephus Antiq. III, 7. 8 et 6. 4.

4) Rabbi Tankuman (apud Ligthfoort opp. I p. 223. — R. Nehemias (Jalcut. fol. 113: תאדל מועד כנגד מעשה בראשית) — R. Ben Uziel (ap. Joseph. I. p. 156 ed Haverkamp.) — R. Kimchi in Ps. XIX. (cf. Mai theolog. Jud. p. 218.) — R. Abarbanel in Exod. XXV. (cf. Witsii miscellanea sacra p. 409.)



imitatus est, Philonis autem interpretatio naturam omnino apologeticam habet. Nimirum hac interpretatione singularis Hebraismi natura deletur, quare eandem nec probare nec in tabernaculo interpretando imitare volumus. Quae tandem Baehr adhuc profert argumenta, omnia nimis levia esse putamus; nam ex locis poeticis, quas affert, vix patere mihi videtur, totum tabernaculum coeli simulacrum esse, nullo modo vero iisdem demonstratur, tabernaculo universum mundum imitari. cf. Ps. XI, 4. Hab. II, 20. Mich. I, 2. (cf. I. Sam. I, 9. III, 3. II Reg. XXIV, 13. II Chron III, 17.) Deut. XXVI, 15. Ps. LXVIII, 6. (cf. Ps. LXXVI, 3.) Jes. LXIII, 15. (cf. Bar II, 16.) etc.

Multi tandem Christiani interpretes illam Philonis interpretationem secuti sunt, quos paucis commemorare liceat. Clemens Alexandrinus et Origenes, patres illi e schola Alexandrina Philoni proximi sunt<sup>1)</sup>. Sed patres scholae Antiochenae eodem modo etiam interpretantur<sup>2)</sup>. Inter Latinos patres ecclesiasticos Hieronymus Josephum sequitur<sup>3)</sup>. Quod recentiores interpretes attinet, addendi sunt adhuc: Grotius<sup>4)</sup>, Görres<sup>5)</sup>, von Bohlen<sup>6)</sup>, de Wette<sup>7)</sup>. Postquam his demonstravimus, tabernaculum sanctum et templum non nominata esse בית מושב (domus habitaculum Dei) quod simulacra mundi fuerint; opinio adhuc illa spectanda est, quae tabernaculum aequum censet, et omnem singularem ejusdem naturam et significationem negligit<sup>8)</sup>. Haec opinio

<sup>1)</sup> Clemens Alex. Strom V. p. 562 fg. — Origenes Hom. 9 in Exod (Opp. II. p. 164): tabernaculum hoc totius mundi tenet figuram.

<sup>2)</sup> Chrysostomus, Hom. in laud. concept. Joh. Bapt. (Opp. II. p. 793). Καὶ ποιεῖ τὸν ναὸν πρὸς τὴν εἰκόνα τοῦ κόσμου παντός, τοῦτε αἰδοθητοῦ καὶ τοῦ νοητοῦ, κ. τ. λ. — Theodoretus Quaest. 40 in Exod. et ad Hebr. IX, 1.

<sup>3)</sup> Hieronymus Epist. 64 ad Fabiol. 9.

<sup>4)</sup> Grot. Annot in N. T. Matth. XXVII, 51.

<sup>5)</sup> Görres Mythengesch. II. S. 525.

<sup>6)</sup> von Bohlen die Genesis Einl. §. 10. S. 75.

<sup>7)</sup> De Wette Archäol. II, 1. 3. § 221.

<sup>8)</sup> Maimonides More Nevochim ed Buxtorf III, 45-49. — Rabbi Schem Tob ad Mor. Nev. c. 45: Deus, cui laus, talem sibi domum condi jussit, qualis esse solet domus regia. Est in domo regia



in eo errat, quod alterius generis nomina negligit, quare in his interpretandis eandem adhuc respicere volumus; deinde in eo, quod singularem tabernaculi institutionem ab ejusdem forma tabernacularia pendere dicit, et supellectilium singularium significationem non interpretatur. Sane nomen, domus, per se nihil aliud denotat, quam locum praesentiae; hanc vero praesentiam vivam fuisse, Deum se vivum praestitisse in domo sua monitis oraculisque, alterius generis nomina nobis docent.

Nomina מועד אהל והעדות quae interdum cum nomine משכן conjuncta occurrunt, Exod. XXXIX, 32. XL, 2., plerumque autem sine ullo additamento usurpantur, certe ceteris omnibus multo sunt graviora. Primo enim tabernaculo solo dantur, deinde ejusdem significationem prae ceteris declarant. LXX et Hieronymus utrumque aequè vertunt „σκηνη τοῦ μαρτυρίου tabernaculum testimonii,“ quam versionem multi interpretes sequuti sunt. Nomen מועד אהל proprie designat tabernaculum conveniendi, nam מועד a radice וע (Kal: convenire fecit, locum et tempus conveniendi indixit, Niph. ווער praesens fuit, convenit) conventum denotat. Quam significationem sacra scripta etiam demonstrant Exod. XXIX, 42.: ubi conveniam vobiscum, ut loquar ad vos. 43. nam ibi convenio cum Israelitis“ etc. etc; quod falso verterunt LXX et Hieronymus: „ἐν οἷς γνωθῆσομαι σοι ἐκεῖθεν, ὥστε λαλῆσαι σοι, καὶ τάξομαι ἐκεῖ τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ κ. τ. λ. Ubi constituam, ut loquar ad te. Ibique praecipiam filiis Israel etc.“ Patet etiam ex hoc loco, conventum ille non esse conventum Israelitarum inter se, concionem populi festis diebus convocatam<sup>1)</sup>, sed conventum cum Deo, vel Dei cum sacerdotibus ad monita danda. Concio Israelitarum voce אהל אהל, nunquam voce מועד significatur: neque unquam tabernaculum sanctum אהל אהל no-

locus ad cibos apparandos constitutus. Item locus ubi adorationa adolentur. Est etiam mensa etc. Eundem admodum coluit Deus, ut haec omnia sua in domo inessent, ne qua in terram regibus concederet. Est enim ille rex magnus, ut his quidem rebus non indigeat. — Hess. Geschichte Moses I, S. 264, 370. Köppen die Bibel ein Werk der göttlichen Weisheit I, S. 252. fg. ed. Scheibel.

<sup>1)</sup> Gesen. h. W.-B. v. מועד — Rosenmüller, Altes und neues Morgenland II. 108. — De Wette, hebräisch-jüdische Archäologie §. 191 §. 194.



minatum invenimus. Itaque הרמוער neque mons est ubi homines inter se, neque mons est ubi Dii inter se conveniunt, sed mons, ubi homines ad Deum venire, cum Deo convenire possunt, Jes. XIV, 13. Quae vero fuerit conveniendi ratio sacra scripta satis demonstrant, Exod. XXV, 22; XXXIII, 7. Deum enim convenire voluisse in tabernaculo ex his locis patet, ut monita et oracula daret, ut monitis continuis voluntatem suam Israelitis communicaret<sup>1</sup>).

Alterum nomen אהל העדות, quod ad hoc nominum genus etiam pertinere supra vidimus, significat tabernaculum testimonii; nam vox עדות a radice עד (testari) derivata testimonium significat. Voce עדות decalogum etiam designatum invenimus, Exod. XXV, 16. 21.; deinde haec vox cum voce ארון qua arca illa sancta significatur, conjuncta est; quod decalogi causa, qui arcae impositus est, (Exod. XXV, 16) factum esse videtur. Exod. XXVI, 34. Totum vero tabernaculum decalogi eidem impositi causa tabernaculum testimonii, אהל העדות vocatum esse, verisimile nobis non videtur<sup>2</sup>); imo vero continuum testimonium, continua testatio Dei in tabernaculo sancto hoc nomine significatur. Nomina igitur אהל מועד et אהל עדות idem significant, quam synonymiam recte observaverunt LXX et Hieronymus, ut supra vidimus, quamquam nomen מועד non ad verbum verterunt.

Conferentes haec nomina cum iis quae ad primum genus pertinent, tabernaculi sancti naturam et significationem his demum accurate et stricte demonstrari videmus. Iisdem enim consilium, ex quo tabernaculum sanctum exstructum est, proprie demonstratur; quod consilium in eo est, ut tabernaculum sanctum intimum sit theocratiae sedes, regia regis theocratici, locus unde Deus populum suum regat.

Baehr haec etiam nomina interpretationi suae symbolicae jungere vo-

<sup>1</sup>) Baehr. Symb. d. Mos. Cult. I p. 81.

<sup>2</sup>) Gesen. h. W.-B. v. עדות — De Wette hebr. jüdische Archäologie p. 191. — Cf. Baehr. S. d. M. C. I p. 83.



luit<sup>1)</sup>, sed, si quid video, nullo jure. Argumentatio hujus viri in universum haec est: Quaque actione Deus patefacit, se esse; omnis autem Dei agendi complexus et theatrum est mundus universus, coelum et terra; mundus igitur patefactionis et testationis Dei etiam est complexus et theatrum; haec autem Dei patefactio, quae creando fit, gradatim tantum ab ea, quae voce fit, differt. Haec, quae voce fit, est patefactio directa et singularis, illa indirecta et universalis; utraque autem natura sua non differt. Hae duae patefactionis formae ab Orientalibus veteribus luce et vita designantur. Lingua ipsa hanc creandi et cognoscendi eandem vim demonstrat, voce enim  $\text{וְיָ}$  utrumque denotatur. (Gen. IV, 1. cf. XVII, 25. I Sam. I, 19. Gen. XIX, 8. Num. XXXI, 17. Jud. XI, 39<sup>1)</sup>), quod in linguis Persarum, Aegyptiorum ceterorumque populorum Orientalium etiam invenimus. Inde concludit Baehr, tabernaculum sanctum, quum divinae patefactionis sit locus, duas illas patefactionis formas et gradus demonstrare debere, quos gradus adesse, quatenus ipsum tabernaculum mundi simulacrum sit, deinde eidem decalogus, Dei patefactio voce facta, impositus sit. Duas illas patefactionis formas, lucem et vitam, omnibus tabernaculi materiis et supellectilibus significari. In eo autem Baehr interpretationem tabernaculi suam differre vult a Philonis interpretatione, quod tabernaculum simulacrum non esse dicit mundi physici et adspectabilis, sed mundi, quatenus ad Deum creatorem spectet, majestatisque ejus et potestatis sit indicium et testimonium. Philo, tabernaculum simulacrum mundi realis esse, putavit; Baehr idem simulacrum mundi idealis esse dicit. Huic autem interpretationi obstat primo vocium  $\text{מוֹעֵד}$  et  $\text{עֲרֹת}$  significatio, neutra enim in scriptis sacris patefactionem illam creatione factam denotat, sed de ea tantum, quae voce, monitis et oraculis, fit, usurpatur; quae illa significatio propriae etiam vocis  $\text{מוֹעֵד}$  significationi contraria esset. Deinde contradictionem esse

<sup>1)</sup> Baehr, S. d. M. C. I p. 84.

<sup>1)</sup> Gesen. h. W.-B. v.  $\text{וְיָ}$  — Kanne Pantheum der aeltesten Naturphilosophie S. 44 fg.



putamus in eo, quod tabernaculum mundi idealis simulacrum esse dicit; mundus enim idealis tantum Dei patefactio est, quatenus pro negativo quodam sumatur; principales autem patefactionis formae sunt lux et vita, et provocare debet Baehr ad religiones Orientalium naturales<sup>1)</sup>. Itaque mundum idealem simulacro exprimi non posse putamus. Quas his quaestionibus invenimus nominum significationes, breviter adhuc, priusquam alteram dissertationis partem aggrediamur, respiciamus. Patet enim ex illis, tabernaculum sanctum fuisse Dei domicilium, ubi monita dare voluerit. Nominibus **קֹדֶשׁ** et **מִקְדָּשׁ** designatur, tabernaculum sanctum esse, quod Deus sanctus praesentia sua idem sanctificaverit; altera nomina **בַּיִת** et **מִשְׁכָּן** locum designant, quem Deus habitaculo sibi elegerit, proprium enim est non solum Hebraismo, sed etiam omnibus religionibus quae exstiterunt ante Christum natum, quod Dei praesentiae locum certum destinant. Locum vero hunc accuratius significant nomina ultima locum conveniendi ad monita danda.

Nexus quidam utrum adsit inter significationes nominum et totius tabernaculi, annon, alterae dissertationis parti quaerendum destinavimus; facile autem videri potest talem nexum adesse, quod potissimum attinet alterius generis nomina. Quatenus vero ex hoc nexu tabernaculum sanctum interpretari possit, quam demonstret hic nexus significationem tabernaculi, et quae haec significatio doceat nos in tabernaculi origine quaerenda, brevi adhuc explicare nobis liceat.

Quam invenimus significationem nominum **אֶתֶל הַעֲרֹת** et **אֶתֶל מִנְעֵר** tabernaculum conveniendi ad monita danda, tabernaculi significationi, quae **Exod. XXV—XXVII** demonstratur, non convenire putamus; sed eae tantum significationi, quae **Exod. XXXIII, 7.** exstat. Spectantes has

<sup>1)</sup> Baehr. S. d. M. C. I. p. 87. — Cf. Baur. Symbolik II. p. 54. Creuzer Symbolik I. p. 388. — Kleuker Zendavesta 1 p. 36. fg. 94. 96. — von Bohlen das alte Indien I. p. 159 fg. —



relationes duas, videmus, easdem inter se valde differre; altera enim Exod. XXX, 7—11. Num. XI, 24—30. Deutr. XXXI, 14—15. mentionem facit tabernaculi simplicis, extra castra exstructi, quo Moses et populus se contulerunt ad monita audienda. Altera autem relatio copiose de tabernaculo precioso quodam, in mediis castris exstructo et singulariis supellectilibus instructo, agit. In eo consentiunt hae relationes, quod eadem nomina tabernaculo dent, אֹהֶל מוֹעֵד Exod. XXXIII, 7, XXIX, 42. eademque aequè interpretent. Quod tabernaculum primum et simplex attinet, jure אֹהֶל מוֹעֵד vocatum est; altera autem tabernaculi relatio sibi ipsi repugnat, cf. Exod. XXIX, 42; Exod. XXV, 22; Lev XVI, 1.); altero enim loco dicitur, Deum quoque tempore cum Mose in tabernaculi sanctissimo convenire et loqui voluisse, altero autem, summum sacerdotem solum et semel tantum quotannis idem ingressum esse. Perspicuum est inde, hanc relationem illi etiam repugnare, et nomen אֹהֶל מוֹעֵד eidem non convenire. Tabernaculum enim ille preciosum non amplius tabernaculum patefactionis et oraculorum fuit, quale tabernaculum ille simplex. Attamen haec dissensio tam magnam vim habere mihi non videtur, ut ob eam negare possimus, tabernaculum preciosum quoddam fuisse; sane autem illa singularem vim habet in tabernaculo interpretando. Quod altera tabernaculi nomina attinet; eadem nimis universalia sunt, quam quae magnam vim habere possint intabernaculi significatione quaerenda. Quum vero omnibus his nominibus demonstretur, naturam tabernaculi sancti potissimum positam esse in localitate, opinionem illam, quae tabernaculum ecclesiae Christianae typum esse vult, iisdem reprimi putamus. Invenimus hanc interpretationem apud patres quosdam ecclesiasticos <sup>1)</sup>, in primis autem apud Witsium <sup>2)</sup>, Lundium <sup>3)</sup>, Sal van Till <sup>4)</sup> etc., nuperrime a Friedrich <sup>5)</sup> relectam et defen-

1) Origenes in Levit. Hom. 9. p. 243.

2) Witsius Miscellanea sacra. lib. 2 diss. 1 de tabernaculi Levitici mysteriis.

3) Lundii Jüdische Heiligthümer.

4) Sal. van Till de tabernaculo Mosis.

5) Friedrich. Symbolik der mosaïschen Stiftshütte.



sam. Tabernaculum vero, quatenus locus est, neque personale culti ob-  
jectum (Deum) neque personale subjectum (ecclesiam) significare potest. Deinde  
haec interpretatio sine ullo jure singulas tabernaculi partes cum ecclesia Chri-  
stiana confert, et tabernaculo sancto omnem significationem temporalem adimit.

precioso quodam, in medio caeteris exarato et singularis suppellectilibus in-  
struato, agit. In eo consistunt haec relationes. quod eadem nomina taber-  
naculo deat. Exod. XXIII. 14. XXIX. 12. eademque rebus inter-  
pretent. Quod tabernaculum primum et simplex ahael jure Exod. XXV. 9.  
causa est; altera autem tabernaculi relatio sibi ipsi repugnat. Exod. XXIX.  
12. Exod. XXV. 24. Lev. XVI. 1. Altera enim loco dicitur, Deum quo-  
que tempore cum illo in tabernaculo convenerit et locum voluisse.  
altera autem, ahael sacerdotem solum et semel tantum quantumvis ibi  
ingressum esse. Responsum est inde, hanc relationem illi etiam repugnare  
et nomen Exod. XXV. 24. eadem non convenire. Tabernaculum enim ille precisum  
non amplius tabernaculum patetiam et oraculum fuit, quale tabernacu-  
lum ille simplex. Atamen haec dissentio tam magnam vim habere mihi non  
videtur, ut ob eam negare possimus, tabernaculum precisum quodammodo fuisse;  
sane, autem ille singularis vim habet in tabernaculo interpretando. Quod al-  
tera tabernaculi nomina atinet; eadem nimis universalis sunt, dum quae  
magnum vim habere possint in tabernaculi significatione quaerenda. Quam vero  
omnibus his nominibus demonstratur; naturam tabernaculi sancti potissimum  
postam esse in locutione, opinionem illam, quae tabernaculum ecclesiae Chri-  
stianae typum esse vult, habere repugnantem. Invenimus hanc interpre-  
tationem quod partes quosdam ecclesiasticos, in primis autem quod W. L. (van  
Lindium), Sal van Tilli) etc., nuperitas a Friedrich) relectam et delin-

- 1) Origines in Levitic. Hom. 9. p. 213.
- 2) W. L. in Miscellanea sacra. lib. 2. dea. 4. de tabernaculo Levitic. mysteriorum.
- 3) Lindium. Hebraische Heiligthümer.
- 4) Sal van Tilli de tabernaculo Hebraeo.
- 5) Friedrich. Symbolik der menschlichen Gottesdienste.

1283





66958





5083





DE  
TABERNACULI SANCTI NOMINIBUS

OBSERVA

TICAS,

SECU

ET

JOANNI

LETII,

MART

ER

VRA

CI

